

DL 12.



De
BARBARORVM 40

ex Septentrione & Oriente

EFFUSIONIBVS

Triga nobilissimorum Adolescentum

superiori mense

in illustri Episcopatus Schola

declamare constituerat:

Sed, quæ vis factorum est, crepto ex tribus vno,
superstitum vterque, quod debet,

a. d. XX Decemb. a precibus meridianis

exsoluet:

*Beate Defuncti laborem posthumum in lucem
succenturiatus Condiscipulus producet.*

Omniū ordinum eruditos, Viros
summos, mediocres, & quotquot rei
scholasticæ fauent, ad audiendum
inuitat

**M. CHRISTOPHORVS CELLARIVS,
RECTOR.**

C I Z Æ

Exscripsit Fridem. Hetsstädt/Ducal. Sax. Numb. Typogr.

mp.



[The text on this page is extremely faint and illegible, appearing as ghosting or bleed-through from the reverse side of the leaf. It is not transcribed.]





Vartus dies iam agitur, quum iusta & exse-
quias persoluimus florentissimo quondam Ado-
lescenti SALOMONI LYDOVICO ZAPFIO, τῷ κ̄ν̄ ἐν
τοῖς ἀγίοις μακαρίταις. Octavus vero est, quum
exuias illius humauimus, memoriam autem, nunquam
inhumandam neque obliterandam, seruabimus perpe-
tuo: seruabunt etiam nobiscum condiscipuli & contu-
bernales Zapfiani, nuper ex Plinii lectionibus admoniti,
nihil æque turpe esse, quam *tantum uiuentes amare*, mor-
tuorum post exsequias & funus obliuisci. Inhumanum
certe oportet esse, qui, si cognitum habuit lepidissimum
adolescentem, nolit æstimare suauissimos mores, ingeni-
um sine exemplo, industriam insuperabilem & præstan-
tissimorum fructuum, per omnem vitam, feracissimam.
Quin potius, quod idem Plinius in Titinio Capitone lau-
dat, pulcrum ac laude dignum est, non solum superstitum,
sed etiam *defunctorum amicos agere*, & quantum gratia va-
lemus atque ingenio, in illorum honore experiri. Ob-
scura obliuio tantummodo eos maneat, qui nihil præcla-
re gesserunt, qui vitam transegerunt silentio veluti peco-
ra, æternitatis atque gloriæ prorsus incuriosi. Digni e-
nim hi sunt, qui lateant æternum, quorum memoria cum
corporibus efferatur, quod ipsi nihil agendo mortem su-
am antecesserunt. Benignius sentiendum de beneme-
rentibus, qui quod gloriæ suæ superuixerunt; superstitum
quoque, quando illi vita defuncti sunt, debet cura &
officium esse, vt laude, quam meruerunt, posteritati inter-
sint,

sint, & ab indignissima obliuione vindicentur. Nobis certe animus in hac vna contemplatione defixus est, vt τὸν μακαρίτην verbis Plinii, cuius epistolis tanquam vltimo industriæ suæ penso immortuus est, pro meritis eius laudemus, & adolescentibus nostris, tanquam exemplar æui prioris, ostendamus, quem intueantur, studiis atque virtutis cultu non pigre imitentur. Certe novissima eius valetudo schola humanitatis (mortalitalis recte dixissem) vere exstitit, ex qua discere potuerunt, quotquot aderant, quam nihil sit stabile in his terris, nihil tam vegetum & iuuenile, quod mors inexorabilis non frangat, corripiat, exstinguat. Inprimis illos, qui altius rem æstimare solent, dolor ingens occupauit, quum viderunt optima quæque fugere, & hominum vitam quasi amphoram esse, ex qua, quod sincerissimum est, primum effluat: gravissimum quodque & turbidum tenaciter subsidat. Non enim iam primum de amissione ingeniorum conquerimur, & horum quidem, de quibus non solum bene sperare, sed confidere etiam potuerint omnes boni, tales olim futuros, quales maiorum virtus & domestica exempla semper excitauerint, quales etiam non indiligens fingi formarique velit institutio. Vt ergo Plinius Secundus non veniam modo, sed laude etiam dignas putavit Regias lacrymas, quas Xerxes propter exercitus sui mortalitatem fudisse dicitur: ita nostrum dolorem spero venia digniorem fore, quippe non multitudinem incultam & male plerumque feriatam, sed quod hominum vita præstantissimum habet, quod rarum & eximium, in ipso flore exstinctum suffocatumque luget. O triste acerbumque funus, quo tantam spem extulimus, tantas ingenii diuitias si non sepeliuimus (sepeliri enim non possunt, quæ mentis sunt) certe ingenti damno amisimus! Sed nolumus, quamuis saluo officio possimus, verbis laudare pluribus: ipse defunctus
sui

fui laudator fit, suaque eloquentia prodat, quo ingenio fuerit, quibus industriæ curis sua perfecit omnia. Destinaverat enim cum optimis contubernalibus publice declamare, etiam cupide, industrie, eleganter elaboraverat omnia, dies constitutus erat declamationi, quem suprema valetudo (vt incerta sunt, quæ mortales proponunt) diritate sua anteuertit. Indignum putauimus, tam politum opus, quod vere testari de auctoris ingenio possit, interire: etiam commilitonum industriam, demta parte præcipua, non posse eo perduci, quo contenderant vnice, vt publica exercitatione probarent & ostenderent, quam studiorum rationem in vmbra secuti fuissent. Prompti illi tam ad sui ingenii periculum faciendum, quam ad contubernalis tuendam conseruandamque existimationem, substituerunt qui illius personam agat, eque ἀπολογεῖσθαι, quæ peroraturus erat, recitet.

ἔπειτα ἡ φάδεος ἰν εἰκότα χειμερίστων.

H

In Zofimi nuper Eutropiique lectionibus imperii Romani diminutionem contemplati fueramus, præsertim illam, quæ sub Alaricho Gothorum Principe accidit, qui Romam obsidione cepit grauissimeque afflixit: cui ex mediæ æui historia calamitas accessit, quam ex Oriente Saraceni Romanorum rebus intulerunt. Hinc nostri in quæstionem incidebant, vehementiusne Gothi, an Saraceni Romanam felicitatem concusserint? quod quia in vtramque partem disputari potest, dignam putavi materiam esse, quam adolescentes in declamationem procliues exercerent latius, & rhetorice in Eruditorum πανηγύδι ventilarent. Alacris imprimis ad hæc munia fuit, cui nunc inter cœlites gratulamur; nec tantummodo demensam partem in se recepit, sed prologum insuper epilogumque postulauit, vt nihil sibi deesset, quo se eximium probaret,

ret, & ad omnia studiorum genera aptissimum. Hic ergo disceptationis oratoriae pugnam velitarem suscepit, quam leuiore, elegantissimo tamen & Lyrico carmine initurus fuisset, nisi aduersa valetudo, eamque consecutus luctuosus nobis, ipsi autem beatissimus excessus ponendi arma necessitatem imposuerit. Quod ergo ipse perficere non potuit fatali vi præreptus; eius nomine & loco præstabit.

CHRISTIANVS PITSCHELIVS, Citicensis, iuuenis non incomtus nec impolitus, olim Beato nostro a latere in Schola coniunctissimus, qui ex Zapfiano manuscripto recitabit, quæ ipse memoriter (nam & hac facultate præcelluit) perorare instituerat.

Velitatione peracta *Orationem primam de Gothorum Vandalorumque in Imperium Romanum irruptione* habebit & genere & maiorum gloria nobilissimus adolescens

GEORGIVS CONRADVS de BRANDENSTEIN,
Variscus Eques,

& ex illorum temporum historiis *quæstiones* colliget, iucundas pariter atque vtilis, quas pro ingenio ad omnem humanitatem exculpto scite & compositè elaborauit. Hunc excipiet *secunda oratione*

IOHANNES CASPARVS MARTINI,
Dresdensis,

iuuenis florentissimus atque illustris Parentis exemplo & dignitate ad summa quæque excitatus, cui quod curæ cordique est, vt nemini cedat ad virtutem & gloriam contendenti, non minus doctè ornateque edisseret, quæ de *Saracenorum excursionibus in Asiam Europamque* ex historiis hausit: etiam quæstionibus non ignobilem materiam nobiliorem efficiet. Saracenos quod Turci oppres-

se-

ferunt, gens ex Scythiæ montibus in cultiorem Asiam
& lucem orientis profecta, multarum gentium futura
exitium flagellumque Vltoris Dei; non ab re putauit ef-
se nostrâs olim, nunc vero Cœli ciuis, quem honoris causa
iterum appellamus,

SALOMO LVDOVICVS ZAPFIVS,

vt *tertiam orationem de Turcorum origine eorumque*
incrementis ac victoriis conscriberet ita, vt & cladium,
quas subinde a Christianis Deo bene iuuante acceperunt,
rationem non prorsus nullam haberet. Epilogi loco
Panegyricum carmen & Deo & summis Heroibus, inpri-
mis Serenissimo Patriæ Patri IOHANNI GEOR-
GIO III, Saxonix Electori, Fideique purioris De-
fensori Inuictæ & Magnanimo, Principi ac Domino no-
stro Clementissimo, subiectissime dicturus erat: sed v-
trumque opus, limatum certe & bene politum, ex alie-
no nunc PITSCHELII ore, quod proh dolor! proprium
morte occlusum est, exaudiendum damus, atque sic A-
ctum, acerbis fatis dilatatum disturbatumque, pro tempore
& luctus ratione finiemus. Reliquum est, vt quidquid
precibus possumus, ad sollicitandos Auditores conuer-
tamus, quo crastino die oratoribus nostris adesse, suo-
que fauore ad maiora imposterum capeffenda concitare
æquo beneuoloque animo sustineant. Precibus solis sol-
licitamus, non gratia, non meritis, quæ scimus in no-
bis aut nulla, aut exigua esse: quæ autem nobis defunt,
supplebunt vel ipsi adolescentes, gratiosi sane & magnæ
spei: vel, quod vnus ad superos excessit, Parentes illo-
rum benemerentissimi & illustri splendore vndiquaque
conspicui. Quos etiam pro perspecta animi magnitu-
dine, quidquid in filios, superstites & defunctum, col-
latum fuerit fauore & auscultatione, liberalissime inter-
preta-

pretaturos esse, non tantum promittimus, sed etiam spon-
demus. Quod si bene rem gesserint nostri, vt speramus
& exhortamur, palmam iis, pugnae praemium, defere-
mus, qua instigati strenue pergant in virtutis cursu, &
multarum palmarum nobiliores aliquando athletae fiant.
Sed beato ZAPFIO nostro quid tandem conferre possu-
mus? Nobilissime vicit, qui viuis rem optime gessit, mo-
riturus per mortem in vitam pertransiit. Nobilioris au-
tem victoriae praemium non simplex palma fuit, nec nu-
da corona, sed *lemniscata* siue *lemniscis* ornata. Lemniscos
Festus *fasciolas purpureas* vocat *ex coronis pendentes*: Iu-
lius Capitolinus in Lucio Vero cap. V digniores notauit
coronas lemniscis aureis interpositis & alieni temporis floribus.
Hanc non damus τῷ μακαρίῳ nostro, etiam non possumus;
sed datam esse a Christo, & Romanis quidem longe me-
liorem, *Coronam iustitiae* (II. Tim. IV. 8.) & *vita* (Apoc. II. 10.)
omnes congratulamur, cuius lemnisci auro & purpura
pretiosiores, hoc est sanguine & meritis Christi exornati,
splendidissime fulgent, & Victorem nostrum, ac ante an-
num triumphalem, Triumphatorem iuuenem commen-
dant. Hac laetetur corona, hac aeternum perfruatur!
PP. Cizæ XIX Decemb. M DC LXXXIII.




Nr 3165


8
80

1007

1007







De
ARORVM

40

ione & Oriente
IONIBVS
rum Adolescentum
ori mense

scopatus Schola
e constituerat:

est, crepto ex tribus vno,
erque, quod debet,
a precibus meridianis
xfoluet:

rem posthumum in lucem
ondiscipulus producet.

um eruditos, Viros
res, & quotquot rei
ent, ad audiendum
nuitat

ORVS CELLARIVS,
ECTOR.

Z Æ
dt/Ducal. Sax. Numb. Typogr.

ms.

